DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONSENSU

VENTRICULUM INTER ET CEREBRUM.

2

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONSENSU

VENTRICULUM INTER ET CEREBRUM;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS WIGHTMAN, A. M.

ACAD. JAC. VI. EDIN.

SCOTUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINBURGENÆ

SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

Valetudo sustentatur notitia sui corporis; et observatione, quae res aut prodesse soleant, aut obesse; et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa; et praetermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent.

Cicero de Officiis, lib. ii. cap. xxiv.

Die VIII. *ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

1808.

PATRI SUO

GULIELMO WIGHTMAN, M. D.

COLLEGII REGII MEDICORUM

EDINBURGENSIS SOCIO,

HANC DISSERTATIONEM

PIETATIS PIGNUS

OFFERT

AUCTOR.

VIRO EXIMIO

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

IN ACADEMIA EDINENSI

MEDICINAE THEORETICAE

PROFESSORI CELEBERRIMO, &c. &c.

OMNIBUS VIRTUTIBUS QUAE VITAM EXORNANT

PRAEDITO;

SCIENTIA MEDICA

QUAM PER PLURIMOS ANNOS

FELICISSIME EXCOLUIT DOCUITQUE

PROFUNDE IMBUTO;

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM

CONSECRAT

CAROLUS WIGHTMAN.

NULLA autem pars corporis consensu magis prompto aut generali cum toto *genere nervoso*, et ideo cum toto corpore pollet, nec ulla igitur magis idonea existit cui plurima remedia stimulantia, quae totum corpus afficere cupimus admoveantur, quam Ventriculus, cum ob plurimos quibus instruitur nervos, tum ob insignem suam mobilitatem, tum forte ob consensum illum egregium quem cum Cerebro habere videtur.

Conspect. Medicin. Theoret. 1163.

For Dr: Ogilvy
With Respectful compliments
from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONSENSU VENTRICULUM

INTER ET

CEREBRUM.

AUCTORE, CAROLO WIGHTMAN.

PROŒMIUM.

CONSENSUM singularem Cerebrum inter et Ventriculum intercedere, nemo est qui nesciat. Satis enim constat, Cerebro malè se habente, Ventriculum, ac, e contraria parte, Ventriculo laborante, Cerebrum gravissimè affici posse.

Inde, Cerebri morbi à Ventriculo, et Ventriculi morbi à Cerebro, pendere vicissim videntur. Veruntamen medico solerti, in utro organo morbus delitescat, haud semper dignoscere facile est. Nonnullis tamen in exemplis, morbi certa propriaque sedes adeo manifesta est, ut neminem latere possit.

Si homo magnâ vi corporis, ictu gravissimo in caput percutiatur, non tantùm res in Ventriculo, sed etiam bilis coloris viridis et nigricantis, vomitù ejiciuntur. Cum aliquis primo navigaret, plerumque nausea et vomitus eum brevi invadunt; alii quoque habitu adeo irritabili gaudent, ut, saltatione, vel in rheda vectione, similiter affici soleant.

In exemplis suprà prolatis, haud denegandum est, quin Ventriculi affectio morbida, à consensu eum inter et Cerebrum, cujus functiones, ictu in caput inflicto, in rheda vectura, et jactatione mari-

tima, imprimis depravantur, solummodo pendeat.

Et, ex altera parte, si cibus concoctu difficilis, vel nimiâ quantitate assumptus, in Ventriculo congeratur, non solùm morbi graves in eum inducentur, verum etiam vertigo, visus imminutus et depravatus, sensuum internorum confusio, aliaeque Cerebri malae habitudines concitabuntur. Denique satis constat, plagas vel contusiones Ventriculi regioni impactas, praeter symptomata morborum, qui, organa quae concoctioni inserviunt, infestant, delirium aliaque signa cerebri malè se habentis et mortem subitam interdum gignere.

Quanquam in exemplis suprà recensitis vix locus dubitandi sit, utrum organum imprimis, et utrum solummodo propter consensum cum altero afficiatur, ideoque, ad eas affectiones levandas et tollendas, sine periclitatione, remedia adhi-

bere liceat, confiteri necesse est, quod, exempla minimè defuerint, in quibus, an alterius alteriusve affectio prius apparuerit, distinguere admodum difficile est. Maximi momenti, tamen, discrimen hoc est, ut symptomata morborum, more philosophico, explicemus, et remedia ritè adhibeamus.

Igitur, in tractatu sequenti, consensum singularem, qui Ventriculum inter et Cerebrum intercedit, patefacere et illustrare in animo est. Porro monendum est, si quando consensus hìc intereat, corpus morbo laborare; qua de re, decet omnes medicos summâ ope niti ut statuerent, an Cerebrum Ventriculusve, in primo vel tantùm gradu secundo, irritetur, atque, utcunque ceciderit, dum altero aeger laboret, ad alterius conditionem diligenter incumbere.

SECTIO PRIMA.

DE CONSENSU VENTRICULUM INTER ET CEREBRUM GENERATIM.

I. Cum munera summi momenti quibus in oeconomia animali Ventriculus inservit, in animo perpendamus, aciem mentis vix eludere potest, quin morbi abhinc originem ducentes, functiones aliorum organorum corporis depravatas, idque Cerebri interventu, producant. "Languido "Ventriculo, omnia languent; vegeto, vigent."

> "Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
> "Et contra ejusdem infirmantur cuncta dolore."

Consensu hoc insigni, effectus omnium, tum ciborum, tum medicaminum, in Ventriculum editi, corporis parte in omni, plùs minúsve sentiuntur, pro vi nervosa, quam, parti illi, Natura alma parens rerum dedit. Cuinam alteri operationi, ascribere possumus vires vigoremque refecta, supra omnes partes diffusa, corpore languido, hebete, et oppresso, cum cibi gratissimi, potionum meraciorum, et medicamentorum cardiacorum stimulo excitetur et caleat? Consensu hocce mirifico inter Ventriculi et Cerebri functiones, omnium organorum corporis dotes, legibus optimis, temperantur.

In Ventriculo concoctio perficitur, qua fluidum paratur, quo corporisjactura quotidiana reficitur, et corpus ipsum ad adolescentiam et aetatem virilem incremento pervenit. Igitur, cibo facilè concocto, et ritè in sanguinis massam assimulato, omnia organa valent. Hinc Celsi facundi sententia; " Concoctio in om-

"nibus corporis affectibus necessaria est, cru-
"ditas enim id maximè laedit, concoctio au-
"tem omnibus vitiis occurrit." Texturae mollissimae, delicatissimae, facultate sentiendi adeo tenerâ praeditus est Ventriculus, ut a quibusdam, et VAN HELMONTIO imprimis, Cardiam vel orificium Ventriculi superius animae sedem fuisse, recenseretur. Tametsi opinionem hancce quasi vanam et futilem habeamus, etiamque a WEBSTERO* dissentiamus, qui, Ventriculum muneribus variis et eximiis, inservire putavit, quibus, nullus auctor, eum fungi, adhuc credidit; tamen minimè negandum est, dum functiones horum organorum propriae, in corpore humano, inscio aut nolente homine, peraguntur, quin moneamur et incitemur importunissimo appetitu, et dirigamur instinctu, quandocunque Ventriculi viribus exhaustis, aliisque corporis partibus at-

* Webster's facts to shew the connection of the stomach, with Life, Health, and Recovery.

tritis, nutrimento egeamus, ad res ingerendas, quales idoneae fuerint ad corporis jacturam reparandam. Huic enim optimae legi naturae, pueri et senes, urbani et rusticani, docti indoctique, pariter obediunt et parent. Sapit autem homo, qui appetitum regit, et tanto cibi potûsque, quanto ad corpus alendum opus sit, ac, eorum usu modico et temperato, consideratè constanterque, gaudet.

Mutatio, quam totum corpus, sed primò et praesertim Ventriculus subit, subsidio alimenti idonei assumpto, prae aliis organis, Cerebro sentitur. Cerebri interventu cordis actio augetur, arteriarum pulsus firmiores et validiores fiunt, sanguinis circuitus citior evadit, omnesque corporis secretiones majore cum vi peraguntur. Cerebrum, ex altera parte, ad actionem debitam excitatum, vis nervosae modum majorem Ventriculo impertit, quae efficit, ut cibus facillimè et optimè concoquatur, atque, Cerebri et

Ventriculi functionibus, subsidium ferentibus et petentibus vicissim, constitutionis conditio sana conservatur.

Status verùm morbosus Cerebri, et ejus interventu, per partes corporis omnes propagatus, inducitur, si cibus, quod vel quantitatem vel qualitatem attinet, praeter consuetudinem ingeratur, praesertim, si liquores, vel vinosi, vel stillatitii, immodice ingurgitentur. Cujus rei ratio elucet. Namque Cerebro nimis excitato, ejus munera propria magnopere perturbantur, et minuuntur. Facultates praeterea ingenii omnes, pro tempore, exulant. Imagines, fallaci medio interposito, ad sensorium transmissae, absque forma et colore propriis spectantur. Sensus et motus gradatim deficiunt.

Cerebro male se habente, affectionibus morbidis assiduè tentatur Ventriculus. Atque, propter vim nervosam, Ventriculo haud ritè

suppeditatam, vomitus ferè semper supervenit, quo absente, debilitatis indirectae maxima pars inducitur ; itaque, muneribus propriis officii, Ventriculus impar fit.

Cum intemperantiae cibi potûsque perrarò tantùm indulgeamus, injuria tunc temporis constitutioni illata, vi prorsus mirabili in corpore insita, quae, quicquid ei nocet, expellere conatur, reficitur, ac, cibi quantitate idoneâ ad vires exhaustas reparandas, continuè assumpta, sanitati pristinae constitutio restituitur.

Si usus autem immodicus cibi stimulantis indulgetur, et si alkohol vel liquores id continentes ad ebrietatem inducendam assiduè inhauriuntur, ita ut viribus naturae medicatricibus, noxam constitutioni illatam, reficere tempus non datum fuerit, cohors morborum gravissimorum magna ebriosum invadet, quorum longè periculosissimi sunt apoplexia, paralysis, et poda-

gra, et scenam claudit indulgens sibi dirus hydrops.

Attamen, alimentis quantitate parcissima assumptis, quae vires corporis exhaustas vix reficere potest, organa omnia, vi nervosâ admodum minutà, mutationes insignes subeunt, ideoque propriis et variis muneribus fungi, ut decet, nequeunt. Hujus rei neque ratio obscura. Minimè ad actionem excitatur Cerebrum, quo fit, ut omnes corporis functiones lentius procedant. Hinc insequuntur languor, lassitudo, aegrotatio, animi tristitia, somnusque perturbatus: Denique fugiunt effoetae in corpore vires. Ventriculus, languescente vi nervosâ, prae aliis partibus, debilitate laborat, concoctionis impotens fit, et, si corpus ita diu afficitur, id marcescit, deficiunt illico vires, cordis et arteriarum motus infirmiores evadunt, et cachexia, ut vocatur, partes omnes penitus occupabit. Hinc, corpus morbis diversis magis

obnoxium redditur, quorum alii aegrum lenta tabe vexant, alii autem mortem citam inducere possunt. Esurientes mala dirissima adoriuntur, et se comitem delirium ferocissimum nonnunquam addit. Res etiam pro cibo assumptae, insalubres, noxiae, et ingratae, eodem modo corpori nocent. Corpus enim humanum, contra alimenta nimiâ copiâ assumpta, viribus maximis contendere potest, sed fami sitique instantibus frustra obstare conatur.

II. His propositis, de modo, quo Cerebrum, atque ejus interventu, aliae partes, Ventriculi laesionibus, morbum subeunt, nunc considerandum venit, quem mirandum in modum, Ventriculus, dum cibi concoctione fungatur, vi nervosa, ex cerebro, in eum, aequaliter influente, ad actionem debitam excitatur.

Omnibus ante oculos patet, mutationes admodum subitas et sane mirabiles, sive ab ex-

terna, sive ab interna causa, in corpore humano, animi variis affectibus induci. Nec quisquam ignorare potest, quin omnes affectus laeti, gaudium scilicet, desiderium, et fiducia, Cerebri actionem imprimis excitent; ac, deinceps, ob ejus consensum cum Ventriculo, hunc totumque corpus firment. Ad hoc, ii affectus, succi gastrici secretionem augent, et praeterea, alicui vires adeo insignes subministrant, ut, cum alimento ferè nullo, magni laboris, fortunaeque saevientis, tandem patiens fiat. E contrario, affectus tristes, formido scilicet, moeror et solicitudo, Cerebri actionem mirum in modum minuendo, in Ventriculum dira exempla cruciatûs nonnunquam edunt. Hi affectus cibi cupiditati repugnant et resistunt: Ii sitim et linguam albidam, ventriculi malè se habentis perpetuum indicium, gignunt. Quinetiam, ab iis concoctio multum impeditur, et interdum diarrhoea insuper inducitur. Postremò, hi affectus saepe repetiti aegrum miserrimè vexant, viresque Ventriculi

omninò extinguunt. Pathemata haecce subitò et manifestè, suos effectus interdum producunt: Hujus rei exemplum egregium elucet, cum aliquis nuncium dirum et moestum primò audiret. Si homo sanâ mente in corpore sano gaudens, paulo ante pransum de nunciis certior fieret, qui animum moerore subitò afficiunt, mutationes magnas subeunt organa corporis omnia, at, prae aliis, certissimè, depravationem patitur Ventriculus: cibi cupiditas, tametsi antea ferè insatiabilis, ab illo momento temporis, prorsus interiit. Res haecce, aciem mentis Shakespeari nostri, dramatici illius vatis, quasi divino quodam spiritu afflati,

> "Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid
> "non,
> "Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit,"

minimè fugiebat. Quum epistolas inter Cardinalem Volsaeum pontificemque Romanum, Angliae rex, Henricus Octavus detexerit, illi

eas interceptas tradidit, simulque hisce verbis eum allocutus est :

> "——— Read over this,
> " And after, this ; and then to breakfast with
> " What appetite you may."

Sunt, qui habitu ita irritabili, ut causis levissimis afficiantur, gaudent. Nuncii diri, et omnia moerorem excitantia, nonnunquam Ventriculum maximè laedunt, ac, nauseam et vomitum, in exemplis haud paucis, gignere pollent.

Si mens intensa, praesertim post cibum assumptum, vel studiis vel negotiis adhibetur, concoctio magnoperè impeditur. Ad hunc finem haud parum confert exercitatio corporis neglecta, ni fallor, hic, maxima ex parte, vi nervosae rebus studiosis exhaustae, tribuendus est ; hinc, justo minus Ventriculo praebetur : unde

concoctio prava, omniaque mala inde profluentia, aegrum adoriuntur.

Ad cibum ritè concoquendum excercitatio modica imprimis necessaria est; sed, si ea vehemens fuerit, et praesertim post cibum statim assumptum *, concoctioni plurimum obstabit. Quo facilius probaret, annon res ita se haberet, HARWOODIUS, professor anatomiae Cantabrigiensis, experimentum de canibus duobus instituit †.

* "It is proper to observe, that any great exercise, especially riding on horseback after a full meal, will disorder the stomach, and retard digestion, instead of promoting it."

Whytt, on Nervous Disorders, p. 346.

† "Dr. Harwood, the professor of anatomy at Cambridge, took two pointers equally hungry, and equally well fed; the one he suffered to lie quiet after his meal, and the other he kept for above two hours in con-

SECTIO SECUNDA.

DE CONSENSU VENTRICULUM INTER ET CEREBRUM IN MORBIS QUIBUSDAM.



Paucis hucusque dictis, de consensu arctissimo, qui, inter Cerebrum et Ventriculum intercedit; dehinc de hujus seu illius, malè se habentis symptomatis dicendum est, prout se manifestant, in morbis quibusdam, quibus cor-

stant exercise. On returning home he had them both killed. In the stomach of the dog that was quiet and asleep all the food was digested: but in the stomach of the other dog, that process was scarcely begun."

Saunders, on the Liver, p. 162, note.

pus humanum objicitur. Omnibus artem medicam facientibus imprimis utile foret, si in exemplis universis, utrum organum prius, et utrum solummodò per consensum cum altero morbum subit, accuratissimè dignoscere possent. Est tamen quodam prodire tenus, nam, ubi symptomata affectionem Cerebri morbosam demonstrarent, plurimùm proderit, ut Ventriculi sanitas conservetur, ac, pari ratione, in omni morbo qui Ventriculum speciatìm infestat, ad Cerebri salutem incumbendum est. Quo pacto saepe fit, ut morbus in sanitatem omnino mutetur.

I.

IN CAPITIS INJURIIS.

Exemplum simplicissimum et manifestissimum quod nobis ante oculos patet, de Ventriculi laesionibus per consensum cum Cere-

bro malè affecto, ex injuriis, contusionibus scilicet, et vulneribus capiti illatis, oritur. Ad vomitum compescendum, qui, ex hac causa, iis, quae in Ventriculum proximè agunt, admodum dissimili, provenit, nemo medicorum est, qui remedia emetica porrigat. In his aliisque similibus exemplis, Cerebro oppresso imprimis succurrere elaborandum est, quodque sanguinis detractione et generali et topicà, quiete assiduâ dum aeger decumberet, optimè effici potest. Quia cum haec remedia, aeque ac illa quae alvum cient, ritè adhibentur, Ventriculi morbi simul ac Cerebri sanari possunt. Remedia cathartica in malis hujuscemodi maximè valentia, ab auctoribus celeberrimis, qui, de capitis, ab externa vi, injuriis disseruerunt, multùm laudata fuerunt, nempè a Pottio et nuper ab Abernetheio qui, de iis remediis effectus optimos praestantibus, liberiùs tractavit.

Chirurgorum observationibus satis constat, exempla interdum subesse, in quibus, a magna vi capiti illata, signa Ventriculi et intestinorum morbo laborantium gravia se ostendunt. Enimvero lingua sorditie oblita est, concoctio perturbata est, et alvus pertinaciter astricta est; quae omnia gradatim inveterascentia, aegrum per aliquot dies post vim capiti illatam, et injuriam Cerebri levatam, crudelissimè vexabunt. Nonnunquam verò, haec vitia eò usque progredientur, ut mirum in modum dyspepsiam idiopathicam simularent, et propter consensum arctissimum, qui inter haec organa et Cerebrum intercedit, symptomata eadem capitis vitiorum redeunt, cephalalgia scilicet, vertigo, sensusque abolitus. Rei hujus ratio, illos qui facies multiplices et diversas, quas induunt morbi, ignorant, protinus latebit; iis verò, qui eorum symptomata varia spectare solent, facilè constabit. Phaenomenon jam dictum apud auctores, hoc modo explicatur. Ventriculus, sa-

burrâ cibi putridi et corrupti, a concoctione pravâ progrediente, multùm gravatur. Hinc quoque morbis dirissimis caput infestatur. Horum autem morborum originis equidem certiores simus, quippe qui, post saburram, ope remediorum, intestinis expulsam, omnino exulant.

II.

IN FEBRIBUS.

In morbis ferè omnibus Ordinum Febrium et Exanthematum, Cerebri, et Ventriculi affectiones quaedam morbosae, eaeque haud parvi momenti, simul conjunguntur. In omnibus formis diversis quas induit Febris Typhodes, Cerebri functiones ferè semper perturbantur, impediuntur et intenduntur, quae vertigo et delirium plùs minùs secundum febris vim, clarissimè ostendunt. Haec Cerebri mala, Ventriculi

indiciis morbosis, veluti nausea, quam vomitus frequentissimè comitatur, cibi cupiditate deleta, siti urgente, lingua crusta alba obducta semper, alvo adstricta interdum, stipantur.

Etsi in his aliisque similibus exemplis, mihi insuper veri videatur simillimum, vim Cerebri minutam affectionem esse primariam, et statum Ventriculi morbosum, tantùm per consensum cum Cerebro malè affecto, induci; veruntamen ut in votis est, controversias omnes de febris causa proxima, sedulo evitare, quippe non nostrum est tantas componere lites inter philosophos et medicos magni nominis, qui diu multùmque, at frustra omninò, de hac re disputaverunt, in hanc arenam non descendam, eòque magis, quia ratio febri medendi a sententia qualibet de proxima causa, quam nobis arrogare lubeat, parùm pendere videtur. Ad meum argumentum comprobandum, multùm interest scire ut clarissimus Professor Dun-

CANUS, in praelectionibus suis clinicis utilissimis, cuncta hujus morbi symptomata, ad Cerebri conditionem morbosam, relegavit.

CLUTTERBUCKIUS, in dissertatione sua de febri, paucis mensibus abhinc, in medium prolata, hunc morbum a statu Cerebri inflammatorio pendere, affirmare haud dubitavit. Huic opinioni autem, pauci, me judice, assentient. De hac aequè ac aliis conjecturis non meum est aliquid disserere. Haud tamen decet ejus commenta de Ventriculi statu silentio praeterire. Non solùm morbo incipiente sed etiam per totum ejus decursum organi hujusce functiones magnoperè perturbantur; ita ut plurimi scriptores causam febris precipuam et primariam ad eum omninò relegaverint. Ipsi tamen multò magis verisimile videtur, phaenomenon hocce haud ineptè explicari posse, ex consensu illo egregio, quem cum Cerebro habet Ventriculus. Nam Cerebri functio-

nes citiùs et plùs quàm Ventriculi laborant, ideoque hujus status morbosus ex illo malè se habente, pendere videtur.

Vomitoria multùm prodesse, Typho incipiente, inter omnes auctores hodiernos, qui de hoc morbo tractaverunt, satis superque constat. Ad usum medicaminum talium, morbi jam inchoati vires frangendi consilio, medici plerumque et felicissimè confugere solent. Hamiltonius regii Nosocomii Edinensis medicus peritissimus, nuper in dissertatione ejus de usu purgantium, ut cathartica, ritè adhibita ad faeces nigras et foetidas ex intestinis expellendas effectus optimos et sanè mirandos praestiterunt, dilucidè planèque edocuit. Jam indè, ad methodum hancce febri medendi, medici faustè, feliciter, prosperèque incubuerunt.

Huic insuper auctori celebri mos est, ut ipse in tractatu suo nos certiores facit, catharti-

eorum viribus solummodò confidere, ex quo dotes eorum insignes in hoc morbo sanando notavit, et in praxi sua, emetica perrarò praescribere solet, simul tamen confitetur, exempla minimè deesse, quibus subsidium egregium emetica afferre possunt.

Typho ingruente, haud dubium est quin Ventriculus et intestina saburrâ putridâ, corpori admodum nocivâ, multùm graventur; plurimum igitur auxilii, ex emeticis*, sub initium mali praesertim, cum cautela adhibitis, sperandum

* In order to account for the efficacy of emetics in the cure of fever, it is only necessary to advert to the intimate relation that subsists between the brain and the stomach, and the influence exerted by each over the other reciprocally.

Clutterbuck, on Fever, p. 298.

est. Post hanc saburram penitus expulsam, mihi, HAMILTONIO auctore, concludere liceat, ut purgantia, ad omnia extranea in intestinis congesta evacuanda, adhibere deceat, quae, irritatione constitutioni perniciosâ illatâ, morbum multò graviorem reddunt; nam, hac ratione, organorum horum functionibus sanitati restitutis, Cerebri oppressio, delirium, aliaque symptomata caput quae infestarunt, mirum in modum levari solent.

Dum autem methodum a HAMILTONIO collaudatam, quantum in nobis est, adhibere par est, nequaquam silentio praetereundum est, quin Cerebrum malè affectum, sibi medici attentionem summam vindicet. Nemo enim est qui nesciat, per morbi hujusce totum decursum, ex animi affectibus, mutationes insignes et vix credibiles, corpus humanum subire. Affectus enim varii nunc cum causis conspirant, et malum vehementius faciunt, nunc medicamentis omni-

bus potentiores, ad sanitatem corpus perducere sufficiunt. Denique, affectus tristes, ad Typhi contagium, homines procliviores reddunt. Qui autem affectibus laetis gaudent, ab hoc diro contagio faustè et feliciter evadunt.

Nec minùs in sanando, quàm in Typho inducendo, effectus quam maximè mirabiles animi pathemata saepissimè praestiterunt. Itaque summis viribus niti debemus, non solùm actionem pestiferam affectuum qui gravissimè torquent summa cum cautela praecavere, sed etiam in auxilium vocare eos qui animo laetitiam pariunt, vel solatium placidum praebent.

Cerebrum, Typho praevalente, dirissimè affectum, oculi suffusi, stupor, delirium, omnesque sensorii functiones maximè vitiatae, testantur. Ad signa ea igitur quae magnoperè urgent, imprimis amovenda, quantum fieri potest, remedia apta adhibenda sunt. Talia sunt, sangui-

nis è temporibus detractio, hirudinibus admotis, aqua frigida capiti raso adhibita, praeterea quum symptomata jam dicta dirissima evadunt, epispastica repetita remedia sunt praestantissima.

Cerebri malis ita levatis, Ventriculus et intestina sanitatem pristinam recuperant. Eodem modo, et per consensum eundem, quum Ventriculus et intestina, ope catharticorum, onere suo saburrae putridae, liberentur, non solùm, horum dotes ritè peragentur, et secretiones Ventriculi et oris statum sanum conciliabunt, sed etiam, delirium, stupor, omniaque Cerebri mala, tollentur. Huic verum, ii soli, qui methodum hancce, faustis sub auspiciis, usurpârunt, credere queunt.

III.

IN APOPLEXIA.

In Apoplexia, quanquam ejus sedes Cerebrum saepissimè sit, tamen, sine affectionibus Ventriculi morbidis comitantibus, rarissimè adoritur. In quibusdam enimverò casibus, vomitus adeò vehemens aegrum invadit, ut morbus Ventriculum solummodò infestare primo intuitu credatur. Tametsi certissimè in exemplis plerisque, ex Cerebri vasorum plethora originem Apoplexia ducat, scire autem necesse est, exempla haud defuisse, in quibus, a Ventriculi conditione morbosa, potissimùm pendere videtur. Oritur ex hac causa, Apoplexiae species ea, quam KIRKLANDUS * *Ner-*

* Kirkland on Apoplectic and Paralytic affections.

vosam appellavit. Huic medico persuasum est, diathesin, a seipso *Apoplecticam* designatam, pro causa agnoscere, certam irritabilitatem morbosam, quae, ab affectionibus vel Cerebri ipsius, vel aliarum partium quarundam systematis, cui nomen *Brainular* ab eo inditum fuit, pendet; necnon opinatur, hasce affectiones reverâ originem ducere ex irritatione aliqua in viscerum abdominalium nervos, qui, ut nemo non novit, in corporis partes alias, longè latèque dominantur.

Paulò ante impetum hujus speciei Apoplexiae, aegrotus plerumque vertigine afficitur, quae, ex irritatione in Ventriculi nervos facta, oritur; hocce symptoma autem iis familiare est, quorum corporis habitus, irritabilitate insolitâ, non solùm Ventriculi nervorum, verùm etiam totius generis nervosi, gaudent. Rem ita se habere docet meliùs adhuc et certiùs, vertiginis cessatio ferè subita, cum reme-

dia, ad hanc irritationem levandam, et ad noxia irritantia è Ventriculo et intestinis expellenda, adhibeantur.

Multùm verò differt Apoplexiae species altera ab illa, de qua jam dictum fuit. Causas etiam omnino diversas, hae binae species agnoscunt. Frequentissimè in conspectum venit ea, quae, ex Cerebri compressione, à vasorum sanguinem vehentium praeter modum distentione, aut, vasis ruptis, sanguinis inundatione in Cerebri cava vel superficiem, oritur. Distinguendi causâ, hanc speciem, *Coma* KIRKLANDUS vocavit. Signa diagnostica inter has binas species etiamque protulit. Pernecessarium quidem est, ut ritè distinguamus, nùm hoc vel illo morbo aliquis laboraret, quoniam singuli diversam prorsus curationem postulant. Quum, pro causa, plenitudinem generalem, et praesertim, vasorum Cerebri sanguine distentionem, Apoplexia reverâ agnoscat, ad eam ar-

cendam, vomitoria nequaquam danda sunt; hic verba Burserii citare liceat. "Quis* enim "non videat vomitu sanguinem uberiùs vali-"diùsque ad caput propelli, ejusque inde "fluxum impediri; sic ut vasa ipsa magis "magisque turgescant, ruptionemque, si forte "adhuc illaesa essent, faciliùs citiùsque su-"beant? si verò jam dilacerata sint, ampliore "facto vulnere, copiosiorem sanguinem effun-"dant."

Signa Ventriculi malè se habentis, nausea scilicet et vomitus, quae sub impetum morbi hujusce adsunt, Cerebrum oppressum, solummodò indicant. Ad haec itaque, pariter ac omnia alia symptomata summovenda, remedia, quae multorum annorum experientia auxilio maximo esse edocuit, adhibenda sunt.

* Vol. III. p. 107.

Talia sunt sanguinis detractio, et generalis et a temporibus, ope hirudinum seu cucurbitularum cum ferro, ac remedia quaecunque alia, quae vasorum actionem intensam compescere, et sanguinis copiam ad caput transmissi temperare valent.

Species Apoplexiae quam KIRKLANDUS *Vehementem Nervosam* appellavit, insanabilis habetur. Dicit tamen, exempla speciei mitioris morbi ejusdem frequentissimè semet ostendere, cui, levamen insigne, medicamentis idoneis, afferre possumus. Adde huc, per morbi hujusce totum decursum, nulla signa se manifestè produnt, quae usum remediorum detrahendo juvantium exposcunt, quibus, ad Apoplexiam sanguineam sanandam, necesse uti habemus.

Fuerunt auctores, nec parvi nominis, qui, eventus dirissimos, ex sanguinis missione larga,

Apoplexiae exemplis in omnibus, nullo delectu habito, provenire, se observasse, affirmant. Clarissimus HEBERDENUS in primis fuit, qui hujus notitiam memoriae prodidit. Postea testimonia bene multa a FOTHERGILLIO prolata fuerunt *, qui, sanguinis detractionem liberam in Apoplexia, aegrum saepiùs a medio sustulisse, notavit.

Ex iis quae supra posui, ratio in promptu erit, quare hocce remedium periculosae plenum opus aleae sit. In iis casibus, ubi sanguinis detractio nocere videtur, morbi species, *Apoplexia Nervosa* est, quippe in hac, Cerebri excitatio valida admodum minuitur, vis nervosa mirè fracta et exhausta est, praeterea, si remedia infirmantia adhibentur, praecipuè sanguinis detractio, vi debilitatem universam inferrendi

* Fothergill's works, vel London Medical Observations and Enquiries, vol. vi. p. 80, et seqq.

maxime pollens, haec omninò evanesceret. Ad hoc accedat, quia morbus hicce a statu irritabili Ventriculi initium capiat, remedia ad hanc irritabilitatem levandam, ac denique, ad morbum ipsum penitùs sanandum, maximè valentia, emetica sunt. Ea felicissimè adhiberi posse, usus satis superque confirmavit. Fothergillius auxilium maximum ab eorum usu oriri se vidisse affirmat, atque, ferè in omni exemplo, ea magnoperè collaudat. Hoc autem, ex opinione sibi propria, processit. Huic medico celeberrimo persuasum fuit, Apoplexiam, in exemplis plerisque, ex cibo nimia copia sumpto, et crudo, Ventriculum admodum gravante, aortam abdominalem comprimente, ac expansionem pulmonum liberam impediente, originem ducere. Inde fit, ut, sanguinis impetus versus caput, vehementior evadat. Veruntamen tantum abest, ut Apoplexia ita inducatur, quia Ventriculus gravatus, antrorsum fertur. Verisimilius autem est, ut noster Gre-

GORIUS clarissimus affirmat * post cibum nimium ingestum stimuli instar, sanguinis circuitum citiorem et fortiorem evadere, itaque, fluxu versus caput speciatim aucto, morbus hicce inducitur.

Quinetiam si morbus ex causa jam recensita oritur, sanguis priùs amittendus est, quàm emetica ad saburram expellendam adhibeantur. Ita, periculum, quod alioquin corpori immineret, magna ex parte, averteretur. Emetica multùm prodesse in hoc morbo solummodò videntur, quum capitis signa morbosa, Ventriculi functiones depravatas indicent; atque, quum proposito solo, causam hocce organum irritantem amovendi, ea adhibeantur.

Supervacaneum foret notare cathartica multùm prodesse, tùm ad praecavendum, tùm

* Praelect. Professoris Gregorii de Apoplexia.

ad morbum sanandum. Nec in animo est de dote insigni quà ea remedia gaudent, ad Apoplexiae speciem sanandam, quae, ex vasorum capitis distentione, oritur, disserere. In Apoplexia Nervosa, ea adhibentur, quò omnia quae Ventriculum irritant, in exemplis multis morbum concitant, in cunctis autem, graviorem reddunt, expellantur.

Scientia clara causarum Apoplexiae diversarum, omnibus rem medicam facientibus, imprimis utilis foret. His enim causis diversis benè perspectis, regimen idoneum, ad malum praecavendum, saepe dirigatur, atque irritatio omnis nervorum Ventriculi levetur, vel ex toto amoveatur, quod optimè fieri potest, purgantium usu tempestivo, et diaeta tali, qualis nec quantitate nec qualitate, corpori nocere potest. Hoc saepe efficit, ut organorum horum dotes in sanitate conserventur, et mala.

quae ex eorum irritatione nascuntur, praecaveantur.

IV.

IN PARALYSI.

In Paralyseos exemplis nonnullis signa Ventriculi et intestinorum morbida, ex examine accurato, manifesta sunt. Concoctio enim perturbatur, lingua sorditie obducitur, alvus tarda est, et dejectiones nigrae fiunt. ABERNETHEIUS chirurgus Londinensis peritissimus *, qui ad haec mala diligentissimè incubuit, multa memoriâ digna conscripsit. Exempla complura narravit, in quibus indicia mortem minitabantur, remediis autem aptatis ad Ventriculi et

* Abernethy on Disorders of the Digestive Organs, p. 75, et seqq.

intestinorum vitia levanda, omnia signa paralytica evanuerunt.

Satis compertum est, paralysin in exemplis plerisque a Cerebri compressione, aut ejus laesionibus organicis, originem ducere, quae vis nervosae fluxum ad corporis partes caeteras impediunt. Interea deplorandum est, in iis exemplis, certum remedium, quod huic morbo funesto occurrat atque obstet, adhuc deesse. Chirurgo illo monente, discere plurimùm juvat, symptomata dirissima omninò amoveri, vel saltem levari posse, methodo leni usurpata, quam ipse, et ut videtur, optimo jure, collaudat. Quae documenta, sane existimo, absit verbo invidia, haud parùm conferunt, ad meum argumentum, in hac dissertatione, stabiliendum.

V.

IN HYDROCEPHALO ET MORBIS EUM REFERENTIBUS.

In morbo qui Apoplexia Hydrocephalica a nostro nosologo CULLENO celeberrimo vocatur, ad ea mala, quae Cerebrum laesum testantur, veluti captis dolorem immanem, pupillas oculorum dilatatas, strabismum et delirium, multa vitia Ventriculi et intestinorum accedunt. In stadio primo, statu febrili adhuc durante, cibi appetentia deficit, lingua crustâ albâ obducitur, sitis urget intensa, alvus plerumque astricta est, necnon adeò torpida fit, ut cathartica fortiora ad eam ciendam porrecta nihil omninò valerent. Coloris viridis aut nigri, foetoris nonnunquam intolerabilis, alvi evacuationes

sunt, Ventriculus perpetuò plùs minùs afficitur. Vomitus vehemens exemplis ferè in omnibus accedit. Celeberrimus WHYTTIUS*, vomitum solummodò abesse in exemplis duobus ex viginti quae ejus curae mandata fuerunt, affirmat. Haud rarò cephalalgia dirissima et nausea gravissima miserum vicissim exercent, atque, nausea perstante, de dolore Ventriculi multùm conqueritur aeger.

Igitur, quia indicia plurima, quae Cerebro malè affecto propria sunt, affectiones morbidas Ventriculi et intestinorum indicent, Hydrocephalus internus inter mala à hisce organis pendentia, nonnunquam recenseri potest. In exemplis reverâ quibusdam, inter Hydrocephalum et morbos ei similitudinem prae se ferentes,

* On the Dropsy in the Brain, p. 13.

vix dignoscere possumus. In plurimis tamen exemplis res est maximi momenti, et quam maximè desideranda. Mala huic simillima sunt Vermes in Ventriculo et intestinis hospitantes, Febris infantum Remittens, et Marasmus. A re nostra haud alienum erit, paucis exponere similitudinem, quae, inter Hydrocephalum et morbos jam recensitos, intercedit.

Hydrocephalus, sub initium mali, a vermibus in Ventriculo et intestinis hospitantibus, vix aut ne vix quidem dignoscendus est; quia in exemplis ferè omnibus, symptomata eadem Cerebri et Ventriculi malè se habentium, in morbo utroque, aegrotum exercent. Febris lenta, Hydrocephali incipientis comes perpetua, vermibus intestina irritantibus, semper adest: necnon in altero morbo et altero, cibi cupiditas deleta, vomitus, capitis dolores, delirium et convulsiones aegrum invadunt. Ergò, de morbo ipso, uter sit, saepius incerta manet cognitio

nostra, donec usquè ad stadium secundum perventum est.

Distinguendi inter has binas affectiones, medici etiam exercitatissimi difficultatem vix superandam agnoverunt. FOTHERGILLIUS quidem, morbum in stadio Hydrocephali ultimo, se, in exemplis quibusdam credidisse, sed, in hisce reverâ exemplis, eum, tandem à vermibus pendere, reperiisse fatetur. Quandocunque igitur, morbi causa latet obscuritate involuta, Ventriculo et intestinis summam curam adhibeamus oportet, indè fiat, ut symptomata levare possimus, si ex capite laeso morbus oriatur. Postremò, si ex vermibus is pendet, medicamentis, quae ad eos exterminandos usus sacravit, datis, cuncta mala quae Cerebrum malè affectum indicant, omninò tollentur.

Hydrocephalus internus, Febrem infantum Remittentem quam BUTTERUS accuratissimè descripsit, haud parùm simulat. Necnon de ea PEMBERTONIUS * quaedam memoriâ digna in lucem edidit. Discriminis notas, quas inter has binas affectiones protulit, hìc loci, supervacaneum foret memorare. Sat erit mihi affirmare, quod alterum exemplum capitis malè affecti Ventriculum laedentis, alterumque Ventriculi malè affecti caput laedentis, in morbis hisce, pateat. Inde difficillimum fit accuratè dignoscere, uter morbus sit primarius. Dicere tamen licet, ut, pollente infantum Febre Remittente, signa certa Cerebri laesi, sicut in Hydrocephalo, semet ostendant, haec, indicia multa intestinorum malè se habentium, plerumque comitantur. Atque eadem sunt, quae

* Observations on Diseases of the Abdominal Viscera.

in Hydrocephalo se produnt. Remediis autem ad intestina aptatis, omnia signa Cerebri malè affecti, prorsus evanescent.

A symptomatis supra annumeratis, ea quae marasmum comitantur, haud multùm discrepare videntur. Sub hoc nomine, HAMILTONIUS multa mala enumeravit, quibus utriusque sexus impuberes obnoxii sunt. Hydrocephalum internum malum hocce admodum refert; attamen, à statu morbido rerum quae in canali alimentario continentur, Marasmus provenit, quia in hoc morbo, alvus constipatur, atque faeces nigrae et foetidae fiunt. HAMILTONIUS nos rectè docet, in exemplis quibusdam, morbum huncce, corpus infirmando atque inundationi serosae in Cerebri ventriculos favendo, Hydrocephalum induxisse. Multum verò abest, ut Hydrocephali causarum plenam notitiam habeamus; nihilominùs constat, in Marasmo pariter ac Hydrocephalo signa ferè

eadem aegrum vexare. Nam, in morbo utroque, cibi cupiditas deleta, vomitus iteratus, doloresque capitis saevissimi insunt. Inde, sententia supra dicta, satis verisimilis videtur.

Porro, auctor hic egregius nos certiores facit, Hydrocephalum haud rarò lentis passibus et in omni ferè re Marasmo simillimum obrepere; quamobrem monet, si quando appetitus prostratus et depravatus, color corporis mutatus, abdominis tumefactio, spiritusque foetidus adsint, animum advertere indiciis quae maximè urgent. Ita malum multò diriùs praecavere possumus. Ne longior sim, experientia Hamiltonii, Marasmum saepissime Hydrocephalum antecedere, demonstravit.

In omni exemplo morborum hujusmodi, monitis ejus sedulò pareamus oportet, purgantia dosibus idoneis adhibendo, ad faeces morbidas, in canali alimentario, ob intestina tor-

pida et infirma, accumulatas, expellendas. In hac methodo assidue persistere necesse est, donec faeces colorem naturalem odoremque recuperaverint, et omninò expulsae fuerint. Ex hoc intelligitur, ut intestina, actione debitâ restitutâ, ad propria munera obeunda, aptentur. Appetitus et concoctio, color et venustas corpori redeunt. Cuncta indicantia tot tantaque capitis mala tolluntur. Et aeger illico fit sanus.

VI.

IN EPILEPSIA JUNIORUM.

Aliud exemplum conditionis Cerebri morbidae, à causis quae in Ventriculo et intestinis delitescunt, patet, in exemplis nonnullis, ubi Epilepsia eos tenerâ aetate invadit. In hoc

pariter ac aliis malis quibusdam, de quibus jam dictum fuit, methodus a HAMILTONIO instituta, usibus eximiis inservire potest, qui demonstravit, quomodo, praevalente Marasmo, intestina irritationem adeò noxiam subeant, et corporis irritabilitas ita afficiatur, ut Epilepsia inducatur.

Vermes in intestinis hospitantes, unà cum praecipuis Epilepsiae causis, ab auctoribus quibusdam annumerati fuerunt. Verisimile tamen videtur, quod alia causa quaelibet, intestinis irritationem impertiens, hunc morbum inducere possit. Quandocunque igitur, causa haud manifesta videatur, diligenter incumbendo ad functiones intestinorum, multum boni sperandum est. Attamen, post puberem aetatem, omnes nostri conatus ad aegri sanitatem restituendam, prorsùs inutiles forent. Sed, si purgantia, morbo incipiente, ad irritationem amovendam, adhiberentur, indicia ominis diri le-

vari queunt. Denique, faustis sub auspiciis, morbus ipse funditùs deleri potest, cujus incursus repetiti, vitae dolores acerbissimos inferunt.

VII.

IN CHOREA.

Chorea, exemplum satis luculentum consensûs inter Cerebrum et Ventriculum, cùm quod ad causam, tùm quod ad hujusce morbi curationem, praebet. Actiones abnormes, quibus genus nervosum corripitur, signa tam conspicua fuerunt, quod eis signis, nosologi et medici operam solummodò dederunt, ut phaenomena explicarent, et consilia medendi statuerent. In definitione Choreae, et consiliis medendi ab illustrissimo CULLENO traditis, de

statu Ventriculi et intestinorum, nulla mentio fit. Post dissertationem HAMILTONII autem in lucem editam, opinio nova inter medicos invaluit. Illo enim monente constat, cathartica fortiora, ad faeces nigrescentes expellendas adhibita, aegrotantem ad sanitatem omninò perduxisse. Denique docemur, ut, colore naturali faecum restituto, actiones abnormes gradatim leviores evaserint, et postea omninò evanuerint. HAMILTONIUS haud explicare conatur, an materies nigrescens in canali alimentatario congesta, causa habenda sit a qua, cuncta hujus mali indicia pendeant; neque dicit, vim Cerebri minutam Ventriculi et intestinorum atoniam induxisse, unde concoctio turbata, et materiei foeculentis congestio, proveniant. Longè mihi ab animo est, in hanc arenam descendere. Nam summae certò in me foret arrogantiae, si me ipsum ad hanc rem, pro dignitate, investigandam, parem putaverim; praeterea, hoc me longius traheret, quam finibus tali tentamini

praescriptis conveniat. Ad utilitatem, et ad argumentum meum comprobandum sat fuerit affirmasse, quod, faecibus nigris expulsis, actiones generis nervosi abnormes, omninò sublatae fuerunt. Inde, cùm quod ad causam, tùm quod ad curationem morbi hujusce, consensus inter Cerebrum atque Ventriculum clarè elucet.

VIII.

IN DYSPEPSIA.

De malis quae nosologi et medici a Ventriculi ipsius statu morboso oriri olim crediderunt, cum nimirum, ei operam modo dederunt, quò Ventriculi malè affecti symptomatum ratio ritè redderetur, et remedia idonea ad eum sanandum adhiberentur, pauca nunc dicenda sunt.

His malis nomina *Dyspepsiae* et *Hypochondriaseos* indita fuerunt. Nosologorum facilè princeps CULLENUS, signa quae plerumque, Dyspepsia idiopathica pollente, aegrum vexare solent, verbis sequentibus annumerat.

"Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ruc-
"tus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pau-
"ciora saltem vel plura horum simul con-
"currentia, plerumque cum alvo adstricta,
"et sine alio vel Ventriculi ipsius vel aliarum
"partium, morbo."

Confitendum profecto est, affectiones Ventriculi malas prae aliis morbis, frequensimè semet ostendere, et aegros miserrimè vexare. Argumentis tamen, de consensu Ventriculi cum aliis partibus, Cerebri interventu, in hac dissertatione, benè perpensis, rationi consentaneum videretur, ut Dyspepsia idiopathica rarius se manifestet, quam intuitu primo credatur.

Enimverò, ut ABERNETHEIUS* opinatur, rarò pro certo statuere possumus, utrum organa quae concoctioni inserviunt, in primo vel tantùm gradu secundo irritentur. Quia irritatio nervosa morbum plerumque antecedere solet, et a morbo ipso multùm intenditur, eumque vicissim magnoperè alit et adauget. Quinetiam mala haecce, ex causis, quae Cerebrum primariè afficiunt, scilicet animi pathematis, aëre impuro et similibus, proveniunt. Porro ex observationibus HAMILTONII, ABERNETHEII que, clarè elucet, quod medicamenta quae Ventriculo prosunt, corporis partibus aliis etiam prosint, in quas, ea tam magnoperè valere, solummodò nuper creditum fuit.

Nunc ostendere quàm brevissimè conabor, nostrum esse pro virili niti, Ventriculo laborante, Cerebrum sanum conservare. Interea,

* On Disorders of the Digestive Organs, p. 52.

in memoria insidendum est, modum certum vis nervosae, organis quae cibi concoctioni inserviunt, admodùm necessarium esse. Nam, vi nervosa deficiente, concoctio vel omninò cessaret, vel saltem cum aegrotantis maximo incommodo, valdè minueretur. Quinetiam, si, vel ob infirmitatem corporis generalem, vel ob aut animi aut corporis agitationem insolitam, vis nervosa, opus tanti momenti perficiens, magna ex parte, Ventriculo subtrahatur, status ejus morbosus signis manifestis se prodit, atque propter ejus consensum cum aliis organis, Cerebri interventu, insignem, totum corpus illico laborat.

Ad Dyspepsiam igitur sanandam, praeter remedia, quae maximè in usu sunt, haud parùm conferet, ut caveatur ne vis nervosa deficiat. Quamobrem affectus tristes * cavendi sunt,

* Qui laborant animi pathemate, corripi potissimum solent morbis Ventriculi, ut inter caeteros obser-

quippe qui, ut suprà dixi, omnia indicia Ventriculi malè se habentis concitare facilè queunt*. Ex adverso autem, affectus laeti, qui appetitum et potentias concoctrices promovent, fovendi sunt. Hi enim "optimos semper effectus "praestant, in reficiendis viribus, cunctisque "ideò corporis functionibus ritè promovendis "juvandisque; neque ullam post se relinquunt "debilitatem, neque ullo modo corpori no-"cent." Ad hoc accedat studia vel negotia in quibus mens nimis inhaereat, Mathesis puta, atque Metaphysices, ludi etiam graves, scilicet

vamus in moerentibus, qui conqueruntur primò de languore Ventriculi; mox verò de inappetentia, ori amaritie, et siti circa horas matutinas, cruditatibus, flatibus et tensionibus hypochondriorum.

Bagliv. cap. xiv. § iii.

* The mind ought to be kept as easy and chearful as possible; since nothing hurts more the Nervous system, and particularly the concoctive powers, than fear, grief, or anxiety.

Whytt on Nervous Disorders, p. 349.

Whist et *Chess* corpori multùm nocent *. Omnes hae causae effectus suos malos edunt, partim ob exercitationem corporis neglectam †, partim, et ut mihi videtur, praecipuè, ob vim nervosam Ventriculo subductam. Quibus rebus fit ut ciborum concoctio vitietur, corporis

* Excessus tamen cum varietate tolerabilior est: at vehemens cogitationum in eandem rem intentio, rari sunt, quibus non magnoperè noceat. Etenim pars illa sensorii communis, quae sola tum in actione est, et in quam tota veluti mens omni sua vi incumbit, violentiam patitur haud minorem, quam musculi singulares fortiter diuque contracti.

Gaub. Instit. Medicin. Patholog. 529.

† Studia nimis intensa, neque ut decet intermissa, et animo et corpori nocent; *generi nervoso* imprimis, et Ventriculo et capiti. Damnum autem quod a studiis vulgo oriri creditur, melius plerumque tribuitur vitae generi parum idoneo, quod multi cupidi literarum degere solent, scilicet qui corporis exercitationem fere negligunt.

Greg. Conspect. Medicin. Theoret. 986.

nutritio impediatur, animique facultates aut omnes aut singulae languidae hebetesque fiant.

Malis a vita sedentaria oriundis, literarum studiosi praecipuè obnoxii sunt. Quod vitae genus, Cerebri vim minuendo, Ventriculi vires subvertit. Atque ita corporis functiones omnes plerumque simul laborant. Si verbis acutissimi doctissimique GAUB'II uti liceat, "Nimia quies "et potentias motrices et quae movendae sunt "partes in torporem conjicit." Naturae enim lex et consilium fuit, ut homines eorum corpora ritè et tempestivè exerceant, atque a legibus naturae, sine maximo periculo, haud aberrare possumus. Dyspepticis igitur multum commodi ex exercitatione modica afferri potest. Quae exercitatio nimirum, Cerebro stimulum saluberrimum impertiendo, omni corporis parti, Ventriculo autem praecipuè, proderit. Obiter etiam monendum est, ut si exercitatio non ad-

hibetur, medicamenta alioquin potentissima, incassum adhiberentur.

Etsi haud in animo est, laudes exercitationis justas deterere, tamen in memoria tenere juvat haud mediocris utilitatis fore, ut aegrotantium viribus accommodetur, cùm quod ad vehementiam sive naturam, tùm quod ad tempus sive continuationem ejus attinet. Exercitatio enim nimis vehemens, vim nervosam Ventriculi exhaurit, debilitatem corporis universam gignit, et denique efficit, ut sanguinis circuitus, secretionesque omnes turbentur. Sed modica exercitatio, corpus roborat, concoctioni opitulater, secretiones et excretiones promovet, sanitatem demum per totum corpus diffundit.

"Est modus in rebus, sunt certi denique fines
"Quos ultra citraque nequit consistere rectum."

Dum tamen corpus, ut decet, exerceatur, multum quoque boni ex spe, gaudio, aliisque ef-

fectibus laetis in animum latum imperium exercentibus, exorietur. Hinc intelligetur quanta pars beneficii, loci mutationi, rusticationi, peregrinationi, spectaculis, ludis, et conviviis hilaribus tribuenda sit, quum tristis et melancholicus quasi a seipso surreptus, vacuusque curis, aerumnis et solicitudinibus, morbi magnam partem deponere possit.

Quod tempus attinet, quo exercitatio beneficio maximo sit, notare obiter licet, exercitationem, Ventriculo vacuo, corporibus infirmis aegrè tolerari posse. Multum hic pendet a stimuli defectu, Ventriculo admodùm necessarii, qui, ex ciborum copia idonea ingesta, oritur. Quo stimulo deficiente ad fatigationem etiam levissimam corpus ineptum fit. Contra verò, post cibum statim assumptum, exercitatio nimis vehemens, ut experimentis a HARWOODIO institutis supra citatis probatum est, alimentorum concoctionem magnopere perturbat. "Ha-

"benda * ratio valetudinis: utendum exercita-"tionibus modicis: tantum cibi et potionis ad-"hibendum ut reficiantur vires, non oppriman-"tur." Tempus exercitationi optimum ante-meridies esse videtur, inter jentaculum nempè et prandium. Verum enimvero, CELSO auctore, exercitatio semper cibum antecedere debet. Hìc etiam sententiam GALENI † in medium proferre omninò fas est. "Verùm ad "sanitatem tuendam, si ante cibum corpora "moderatè exerceantur, mirum in modum pro-"dest, at contra quies et otium diuturnum iis "maximo nocumento est." In aestate, tamen, si tempore idoneo pransum sit, et si inter prandendum, cibi plus justo non ingeratur, exercitatio lenis vespertina Dyspepticis auxilium magnum promittit.

Delectus denique cibi, Ventriculo debilitate laborante, haud levis momenti èst. Cum

* Cicero de Senectute.

† Galen de Euchymia et Cacochymia.

epulæ lautiores et liquores generosi nimis diu indulgeantur, Ventriculus infirmus nimio onere materici corruptae gravatur; hinc concoctio impedietur, Cerebri vis frangetur, et omnes functiones laborabunt. Igitur maximè necessarium est, cibi quantitatem pariter ac qualitatem Ventriculi viribus accommodare. Satis in aperto est, corporis nutritionem, et Ventriculi ipsius sanitatem, minùs a ciborum quantitate et qualitate, quàm a Ventriculi potentia *, ad cibum in nutrimentum idoneum convertendum, pendere. Hippocrates dicit, "Neque satie-"tas, neque fames, neque aliud quicquam bo-"num est, quod naturae modum excedat." Magna copia cibi nutrientis in Ventriculum recepta, quem, ob infirmitatem, concoquere nequit, ejus vires exhaurit; non secus ac musculi,

* Every time the stomach is overloaded, its nerves are weakened and its strength impaired.

Whytt on Nervous Disorders.

seu aliud quodvis corporis organum, onere eis imposito, brevi delassarentur.

Organis, quae nutrimento et concoctioni inserviunt, infirmitate laborantibus, oportet imprimis cibus natura et copia talis sit, qualis et concoctu facilis sit, et nutrimenti sat corpori praebeat. Itaque uno quovis tempore, cibus pauculus sumendus est, sed frequentissimè. Caro animalium levis, vitulorum et pullorum scilicet, ova recentia mollia atque sorbilia, Ventriculis infirmis aptissima sunt.

Vir summus, et de medicina optimè meritus HUNTERUS, quaedam exempla memoriae tradidit, in quibus, debilitas summa Ventriculum occupaverat *. Verùm in his exemplis unum speciatim aegrum notavit, qui cibum levissimum retinere nequibat. Ab eo aegro, lac ip-

* London Medical Observations and Enquiries, vol. vi. p. 310.

sum, non citiùs haustum, quàm rejectum fuit. Veruntamen in exemplo ferè omni, cochleare unum alterumve identidem porrectum, Ventriculus facile retinere potuit, atque hac ratione, non solùm, ad hoc fluidum nutriens majore quantitate, verùm etiam ad carnem animalium levem, una cum jusculis ex ea confectis, concoquendum, brevi aptus redditus fuit. Ita symptomata, quae medicum prorsus fallere videbantur, ex toto sublata sunt. Liceat tamen monere ut, in hujusmodi affectionibus, alimenta valdè nutrientia, aegris detrimento maximo fuissent.

Hìc loci pauca dicere liceat de malo cui FOTHERGILLIUS *sick head-ache** nomen indidit; quoniam affectio haecce a Ventriculo pendeat et cephalalgiam saevissimam unà secum ducat. Cui

* Fothergill's Works.

morbo ii potissimum, qui victu lautiore gaudent, et exercitationem idoneam neglexerunt, obnoxii sunt. Remedium unicum ad hoc malum levandum repertum fuit, usus nempè modicus alimentorum, quae potentias concoctrices opprimere nequeunt. In hac methodo medendi persistere necesse est, quia morbus, gradatim inductus, haud ita facilè amovendus.

In Dyspepsia, varia symptomata capitis observantur, quorum ratio, ex consensu Cerebri cum Ventriculo, solummodò reddi potest, dolor nempe * capitis, vertigo, tinnitus aurium, visus imminutus et depravatus. Haec signa, nequaquam ex fluxu sanguinis caput versus adaucto, oriuntur, quippe quae, faciei pallore, proclivitateque ad deliquium, stipantur; et praeterea, remediis, quae motum sanguinis inten-

* Dolores capitis magna ex parte a stomacho fiunt, et si haec sedulo tibi constent, utere stomachicis, diaeta, et clysteribus, non intelligimus hìc dolores gallicos et hemicranias inveteratas, quae aliunde ducunt originem.

Bagliv.

dunt facilius tolluntur. Auxilium egregium praebent quaedam stimulantia in Ventriculum ipsum recepta. Haec medicamina sine dubio Ventriculi ipsius debilitatem magnoperè adaugent. Levamen autem quod ab eorum usu aegri accipere solent, ultra dubium ponit, quin mala capitis, ex inflammatione, vel sanguinis congestione, minimè pendeant. Verumenimverò si ex hoc fonte profluxerint, medicamenta ejusmodi, necessariò ea plurimùm intenderent. Quinetiam omnia symptomata jam memorata, materie crudâ e Ventriculo, ope emeticorum vel catharticorum, expulsâ, prorsus exulant.

Quidam forsan mihi vitio vertant, si in hoc tractatu, effectus quos edunt in corpus humanum quaedam venena vegetabilia sedantia, omnino praetermiserim. Hi, ut mihi videtur, ex

consensu Cerebri cum Ventriculo, facillimè explicantur. Hic autem de Pruno Lauro Ceraso, eorum maxime notabili, tantùm mentionem faciam, ex cujus aqua destillata, praesertim largâ copiâ, in Ventriculum recepta, mors citissimè, interdum uno puncto temporis, sequitur. Vix ac ne vix quidem credibile est, ut venenum tam cito circuitum sanguinis introiret, vel ullo alio modo, lethales suos effectus exerceret. Cerebri functiones, ex consensu cum Ventriculo mirum in modum labefactantur; hinc necessariò vita et energia totius corporis deficit atque deprimitur. In primordio hujus tentaminis notavi quod ex hoc consensu, ictus graviores Ventriculi regioni impacti, stuporem, delirium, et mortem nonnunquam induxerint. Necnon eodem modo forsan exponere liceat delirium, virium prostrationem subitam, et mortem citam, quae, exemplis in nonnullis, ex Ventriculi inflammatione, antequam haec vel ad suppurationem vel ad gangraenam pervenerit, insequuntur.

Praeter Ventriculum viscera quaedam alia concoctionis commodis pariter inserviunt. Morbi haec organa occupantes Ventriculum haud rarò gravissimè afficiunt. Affectiones hepatis morbidae speciatim, ejusque ductuum saepissime observantur, et signis Ventriculi morbidis sese ostendunt. Mala haecce tamen, opusculi hujus limites praescripti, explorare vetant. Ea solummodò hìc loci notantur, ut affectionum naturam multiplicem, quae vulgo Dyspepticae putantur, facillimè attingerem. Ex observationibus de Dyspepsia collatis forsan patebit, morbum idiopathicum rariùs aegros vexare, quàm vulgò creditum fuit. In alias partes corporis tàm latè patet Ventriculi imperium, ut functiones ferè nullae sint, quae sanitate morbisque ejus non insigniter afficiuntur. Sympathia quae ei est cum cute omnibus innotescit, atque in morbis quibusdam maximè eminet. In paginis praegressis de consensu egregio eum inter et Cerebrum, prolatis, ostendi, quod symp-

tomata, quae alterum speciatim exercent, primo statim aspectu alterum afficere videantur. Verumenimverò ostendi quod medicamenta, quae in alterum proximè agunt, in alterum etiam mutationes insignes efficiant. Investigationes contemplativas sedulò vitavi, mecum nimirùm reputans, ut, methodo medendi observationibus accuratis nitente, officiis arduis medicorum optimè perfungi possimus.

FINIS.

E PRELO ACADEMICO.